

Nf 14



40  
DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
SECUNDA,

DE

ILLO CLARISS. POIRETY ERRORE, QVO,

QVAE NATV-  
RAE SVNT, PRO  
GRATIA ET GRATIAE  
EFFECTIBVS HABET:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die Decembris hujus MDCCXX. anni

SVB MODERAMINE

D. JOACHIMI LANGII,  
S. THEOL. PROF. ORDIN.

PVBlicAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

69.  
THEOPHIL. HENRICVS Schaufirch/  
STETINENSIS POMERANVS, S.S. THEOL. CVLTOR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFH, Acad. Typ.

DISSERTATIONUM ANTIQVARIARVM  
DODECADIS POSTERIORIS  
SECUNDA.

DE  
ALIO CLARIS PORETTI ERRORIBVS  
QVAE NATV-  
RAE SVNT, PRO  
GRATIA ET GRATIAE  
EFFECTIBVS HABET.

QVAM  
IN REGIA PRIBERIANA  
VNI-  
VERSITATE  
SVE MEDICINAE  
D. JOACHIMI LANGII  
S. THEOL. PROF. ORDIN.

AVGVSTAE  
THEOPHIL. HENRICVS  
STETTINENSIS TOMERANAE, S. THEOL. CANTOR.

MDCCXXII  
THEOPHIL. HENRICVS  
STETTINENSIS TOMERANAE, S. THEOL. CANTOR.





VERA ECCLESIAE EVANGELICAE SENTENTIA

DE

Statu ac facultate hominis naturali in rebus divinis,

MEMBRVM I.

DE

STATV CONTROVERSIAE.

§. I.



Uæstio non est de lumine naturali, in hominis per lapsum corrupti intellectu relicto, ex quo is arcum intra se habet instinctum ad Deum hujus universi conditorem, secundum essentiam & attributa sua, aliquo modo cognoscendum, & facultatem insitum hoc *γνωσθῆναι* variis modis apud se excitandi & augendi. Nam hoc conceditur omnino.

A. 2.

§. II.

## §. II.

Nec est quæstio de *virtute naturali*; ane post lapsum in corrupti hominis *voluntas* remanserit *facultas* ductui notitiæ istius naturalis aliquo modo obsequendi, Deoque naturaliter cognito cultum, notitiæ isti convenientem, præstandi; nec non *libertas* in cultu isto hoc aut isto modo versandi, aut ab illo plane abstinendi, instinctu isto, qui divini cultus obligationem affert, neglecto. Nam etiam hoc & istud exploratæ veritatis res est.

## §. III.

Multo minus quæritur, ane in homine post lapsum superfit *conscientia*, seu facultas aut habitus animi, e naturali intellectus & voluntatis lumine ac virtute constans, & ita comparatus, ut, tanquam principium normativum internum divinitus insitum, hominis actiones dirigat & dijudicet, eumque, rerum suarum sibi conscium, pro earum qualitate vel quietis vel inquietis sensu afficiat? Hic enim conscientiæ status per se resultat e statu intellectus & voluntatis in se seorsum considerato.

## §. IV.

Nec est quæstio: ane ante & post Christum natum *extra ecclesiam Dei visibilem*, Judaicam & christianam, inde a temporibus Patriarcharum ad nostra usque, semper quidam salutarem Dei notitiam habuerint, & in salutari ejus cultu versati etiam æternum salvati fuerint. Nam neque hoc negatur, nisi ab iis, qui præjudiciis occupati partim ipsius historiæ biblicæ & sacre ignorantia, partim etiam, pro genuino veritatis

tatis tuendæ studio, plane falso hac in parte ducuntur.

## S. V.

Concessæ hujus quæstionis quartæ, seu propositionis in ea latentis, ratio ita quidem est comparata, ut sapientibus sit indubitata: ut vero illis etiam, qui præpostero & inconsulto pro veritate zelo aguntur, se probet, hæc ipsi addo axiomata, cum eadem *inven-  
tata*:

*Extra Christum non est salus.*

*Quotquod extra ecclesiam visibilem salvati sunt, aut  
adhuc salvantur, non salvantur per lumen & virtu-  
tem nature, sed per viam gratiæ, quæ in Jesu Chri-  
sto est.*

## S. VI.

Jam si quæras: *quomodo via gratiæ seu evangelii  
de Christo gentilibus innotuerit?* commendo tibi me-  
ditationem argumentorum sequentium, quæ sunt:

- a) *Schola Noachica, ac simul traditio, (quæ inde post  
diluvium per universum orbem & omnes gentes  
de oeconomia gratiæ fuit propagata: id quod a  
priori ipsa tradit historia sacra; a posteriori vero  
Melchisedeci inter Cananæos, Jobi & ipsius amico-  
rum inter Arabes, & Jethronis inter Midianitas,  
aliorumque exempla comprobant.*
- b) *Commercium aliarum gentium cum Judæis, quod  
sine communicata religionis notitia fieri haud  
potuit.*
- c) *Fama publica, per gentes vicinas in remotissimas  
etiam dispensa, de gente & religione Judaica, inpr-  
mis sub imperio Davidis & Salomonis; immo postea ad-*

huc luculentius sub monarchia *Chaldaica, Persica, Græca & Romana*; quibus quatuor imperiis amplioribus Judaica gens ita fuit immixta, ut aliquam, & nobiliorem quidem, multisque ac admirandis Dei operibus conspicuam, ipsorum partem constituerit. Id quod itidem tradit historia sacra, ego vero, cum applicatione ad præfens argumentum de radiis veræ *Σοφιστικῆς* per universum terrarum orbem diffusis, partim in *Medicina mentis* Part. I. partim in *Historia Eccles. V. T.* passim ex instituto tractavi. Idem argumentum persecutus est B. WOLFG. FRANZIVS in Libro de Schola sacrificiorum Disputat. IX. Huc accedit

- d) *Modus evangelium patefaciendi & homines ad agnitionem Christi adducendi extraordinarius.* Ubi, prudentiorum omnium confessione, verum est, Deum nos intra ecclesiam visibilem alligasse mediis, non autem se ipsum sui que agnitionem salutarem extra eandem. Id quod negare potest nemo, nisi sensu plane absurdum in modum sectario palam prodito. Nequaquam vero thesin hanc de modo Dei extraordinario abripi velim ultra id, quod res & fas est, quasi parum intersit inter viam *Σοφιστικῆς* evangelicæ ordinariam & extraordinariam, & quasi hæc æque late pateat, quam illa, & Christianis non incumbat, ut de evangelio remotissimis ab ecclesia Christiana gentibus annuntiando pie sint solliciti. De ipsa agendi ratione singulari bene sentit beatus NICOLAUS HVNNIVS in *Diascepsi* p. 224. Quod tamen (iudicium horrendum



de errantibus) cum gemina cautione dictum volo: Ne  
 modus præscribatur, aut termini præfigantur immense  
 bonitati & misericordie Dei, qui NOVIT MODIS  
 NOBIS INCOGNITIS FIDEM OPERARI IN IIS,  
 qui citra malitiam in errore versantur, quemque hu-  
 jusmodi errantium oviscularum miseret: quin potius  
 DE ILLIUS GRATIA HIC ETIAM QVAEVIS O-  
 PTIMA SPERO: & quidquid hæcenus assertum fuit  
 de ORDINARIO actionis divine modo, quo usque is  
 per verbum est revelatus, intellectum volo, MININE  
 autem de actionibus Dei EXTRAORDINARIIS, in scri-  
 pro verbo nusquam promissis, NVSQVAM QVOQVE  
 DENEGATIS. κ. τ. λ.

## §. VII.

Restat, ut præjudicium aliquod imperitis exi-  
 mam, quod ipsis circa hanc materiam profunde infi-  
 xum sedet. Existimare isti solent, ad salutem neces-  
 sario requiri ejusmodi cognitionis theologicæ appara-  
 tum, qualem institutiones catechetice per omnes ac sin-  
 gulos fidei articulos erectionis ingenii catechumenus instillare  
 solent. Quæ opinio sane a vero aliena est. Quare  
 hic omnino vitanda sunt duo extrema: unum in po-  
 stulata cognitionis ætate & extensione majore apud  
 eos etiam, quibus ordinaria istius acquirendæ subsidia  
 defunt: alterum in acedia & carbonaria credulitate ac i-  
 gnorantia apud eos, quibus uberior subsidiorum usus  
 fuit concessus.

## §. VIII.

In horum extremorum medio deprehenditur no-  
 ticia evangelii de Christo in capitibus doctrinæ summe  
 neces-

necessariis *exigua* quidem admodum; at vera tamen ac *salutaria*, Dei gratia & Spiritus Sancti operatione interiore subsidiorum, aut etiam capacitatis, defectum benignius supplente. Id quod quo minus videatur paradoxum, consideremus multa hominum millia in ipsa ecclesia christiana, & evangelica etiam, vivere, quorum notitia doctrinae christianae evangelica admodum est tenuis, nec expers variarum idearumerrarum. Quod si tamen singulorum statum curatius explores, deprehendes in nonnullis luculenta semina gratiae Dei, immo non spernenda indicia ipsius status gratiae ac vitae spiritualis.

## §. IX.

Hoc est, quod ipse olim in ministerio verbi Berolinensi saepius expertus sum, inprimis quando in sella exomologetica confessores, instituto aliquo examine, sedulo exploravi. Testes hic consentientes appellare non dubito omnes verbi praecones, quotquot sollicita & spiritali gregis sui cura tanguntur. Jam si intra ipsam ecclesiam, us etiam in locis, ubi quam largissime & quam purissime spargitur evangelii semen, pro dispensatione Dei clementissima tanta cognitionis tenuitas, etsi periculo vario non caret, ad salutem tamen apud multos sufficit, apud imbecilliores inprimis; quid non sperandum erit de illis, qui *extra ecclesiam visibilem* vivunt & subsidiis ordinariis destituti sunt?

## §. X.

Haec haecenus de statu controversiae seu quaestione negative proposito, iis, quae aliena sunt, nec tamen recte distingvi solent, inde remotis. Unde via hic aperi-

peritur media inter *nimiam præcisionem*, qua omnibus ac singulis extra ecclesiam visibilem viventibus, nec ad eam externa confessione pertinentibus, salus æterna promiscue & absolute denegatur, quod sane horrendum est; & *inter extensionem salutis* eam, qua ipsis corruptæ naturæ viribus, gratiæ nomine appellatis, illa tribuitur, conficta hypothefi de ejusmodi *lumine naturali*, quod sit ipsa *gratia Dei proprie sic dicta*, ipse *Deus & ipse Christus in omnibus hominibus*. Et hæc ipsa sententia est, quam Cl. POIRETUS fovet ac propugnat. Igitur in hanc ipsam sententiam status controversiæ refolvitur; cujus formatio sequentia gignit axiomata.

## MEMBRVM II.

CONTINENS

## PROPOSITIONES ANTI-POIRETIANAS.

## PROPOSITIO I.

Christus non est natura in omnibus hominibus, per ipsum lumen & virtutem naturæ animo insitus: multo minus ipsum naturæ lumen est Deus ac Christus.

## DEMONSTRATIO.

1. *E silentio Scripturæ Sacræ*; utpote quæ nusquam  
 B ullum

ullum habet locum, qui, sine detorsione intellectus, sententiam præcedenti propositione negatam suppeditet, aut præbet.

2. *E locis Scripturæ contrariis*, quæ de summa naturæ humanæ, qualis per lapsum constituta est, corruptione agunt, uti inter alia sunt Gen. VI, 5. VIII, 21. *figmentum cordis humani*, (quidquid cor humanum cogitat, fingit ac decernit), *vantum malum est inde a pueritia hominis*. Quæ locutio absolute negativa, seu exclusiva, non permittit, ut statuamus, Christum jam natura esse in omnibus hominibus. Alias enim cordis operationes etiam in mere spiritualibus ex parte essent bonæ. Sic Joh. III, 6. Christus ait: *Quidquid ex carne natum est, est caro*, h. e. corruptum, seu ita comparatum, ut ejus  $\varphi\rho\nu\nu\alpha$ , quod Mosi citatis locis  $\gamma\alpha$  dicitur, sit  $\epsilon\chi\theta\epsilon\alpha$  eis  $\tau\omicron\nu$   $\theta\epsilon\omicron\nu$ , *inimicitia adversus Deum*. Et hoc ipsum Paulus confirmat, quando de omnibus hominibus, quales sunt natura, & pro ratione contextus etiam de philosophis scribit 1 Cor. II, 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim ipsi sunt, nec potest cognoscere, quia spiritualiter sunt judicanda*. Si Christus esset in omnibus hominibus jam natura, illi natura non essent  $\varphi\sigma\chi\iota\mu\omicron\iota$ ,  $\pi\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha$   $\mu\eta$   $\epsilon\chi\omicron\nu\tau\epsilon\varsigma$ , *die fleischliche / die keinen Geist / oder geistliches principium in sich haben /* ut cum Apostolo Juda ep. v. 19. loquar: nec carerent salutari Dei agnitione. Quid & quales natura simus, Paulus inter alia Eph. II, 3, 5. verbis significantissimis declarat, quando nos vocat *natura filios iræ & mortuos in peccatis*, ac tenebras, c. V, 8. Præterea alia Scripturæ loca, quæ idem comprobant ab-

3. *E locis Scripturæ is, in quibus urgetur necessitas regenerationis, & quidem non per principium aliquod jam ipsi naturæ insitum, sed per baptismum aut verbum evangelii prædicatum auditumque ac lectum, efficiendæ.* Joh. III, 3, 5. Act. XXVI, 18. Rom. I, 16, X, 17. 1 Cor. I, 23, 24. II, 1--5. 1 Petr. II, 23. Jac. I, 18, 21. u. r. l.

4. *E methodo homines convertendi apostolica.* Apostoli, testibus ipsorum Actis & Epistolis, homines ad salutem convertendos & illuminandos nunquam remiserunt ad lumen naturale, tanquam Deum & Christum intra se; sed ad verbum Evangelii prædicatum, seu per hoc ad Deum & Christum, tanquam ab ipsis secundum communionem gratiæ adhuc alienum.

5. *E præjudicio illo, quo, quæ nonnulli inter gentes partim e traditione Noachica retinuerunt, aut e commercio cum Judæis, vel e fama de illis, & illarum religione adoptarunt, aut e singulari & extraordinaria Dei gratia habuerunt, aut habuisse videntur, ipsi naturæ post lapsum residuæ, & cursui ejus ordinario adscribuntur.*

6. *E sinistra interpretatione istorum Scripturæ locorum, quæ in sententiæ hæctenus destructæ præsidium allegari solent.* Consultum erit horum vindiciis pecuniarem propositionem præmittere.

## PROPOSITIO II.

Hypothesi de gratiæ principio;  
jam tum per ipsam naturam homini

infito, nequaquam patrocinantur illa  
Scripturæ loca, quæ pro eadem ad-  
struenda, aut exornanda, allegari so-  
lent.

*Vindiciæ locorum.*

§. I. Genes. III, 15. *Inimicitiam ponam &c.* Hic  
Christus quidem ita est promissus, ut fide per promif-  
sionem hanc in protoplastis accensa ipse vere fuerit  
ab illis receptus; sed ex hoc loco nequaquam potest  
inferri, Christum protoplastis per hanc promissionem  
ita fuisse quasi implantatum, ut inde semen gratiæ spi-  
rituale cum ipso semine naturali in propagatione hu-  
mani generis in omnes posteros fuerit transfusum: uti  
statuit POIRETVS Oecon. L. III. c. XI. p. 734. seqq.  
Cujus negatæ consequentiæ rationes sunt sequen-  
tes:

1. *Silentium Scripturæ* in textu & integra ejus *συναΐσα*  
tantum, ut inde ne minimo quidem indicio erui  
possit erroneum istud axioma.
2. *Testimonia Scripturæ contraria*, de tanta humanæ  
naturæ corruptione, seu tanta status humanæ,  
qualis post promulgatum proteuangelium est,  
labe, cum qua infitum illud gratiæ principium est  
*ἀσώταρον*: quæ supra vidimus.
3. *Indignitas hujus hypothesis*, respectu ad Deum &  
Dei Filium habito. Contendit Poiretus, *implan-*  
*tatum illud gratiæ & luminis naturalis principium esse*  
se

*se ipsum Deum, ipsum Christum.* Jam vero eidem principio propagationem tribuit. Quam, si de Deo Deique Filio concipias, vel ipsa mens humana abhorret ab ista idea, de Deo simplicissimo concepta. Nec valebit instantia de *anima humana*, scilicet ejus propagationem sine absurditate statui. Nam quis non videt, nullam esse consequentiam a propagatione animæ humanæ ad propagationem ipsius Dei & ipsius Dei Filii æterni? Deus enim non pertinet ad essentiam hominis, uti anima; quæ ideo non potest non propagari, cum creatura quælibet producat sui similem, *εὐνοίας* talem.

4. *Magna disparitas* benedictionis de multiplicatione generis humani, & promissionis de Messia. Nam *isthic multiplicatio expressis verbis* est promissa; hic vero transfusio gratiæ per generationem naturalem nequaquam.

§. II. Matth. XIII, 44. *Regnum Dei simile est thesauro recondito in agro* &c. Hic per agrum non potest intelligi cor hominis, & ita quidem, ut regnum Dei jam per ipsam nativitatem intra se habeat. Nam 1. hic ager non dicitur *proprius*, sed *alienus*, ideoque venditis bonis aliis emendus. 2. Totus contextus describit cor hominis, tanquam per naturam spirituali semine, ne dicam regno Dei, vacuum, ita, ut illud demum e præconio evangelii externo concipiat. Atque ita ager respectu thesauri contenti est Scriptura sacra, cujus scrutationem Christus ideo commendat Jo. V, 39. Eadem est ratio istius similitudinis, quam Christus a

*margarita* desumit. Matth. XIII, 45, 46. utpote quam mercator non *habuisse*, sed *emisse* dicitur.

§. III. Luc. XVII, 21. *Ecco regnum Dei intra vos est.* Hoc Christi effato Phariseis, veri rectique osoribus, non tribui regnum Dei, tanquam jam natura infinitum, liquet *e conditione subiecti*, seu Phariseorum aliorumque impiorum; utpote quorum naturalis corruptio tanta erat, ut illi tam illustre prædicatum de regno Dei tribui haud posset. Quare adhibendus hic est canon hermeneuticus: *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis.* De subiecto: *vos Pharisei.* Prædicatum: *habetis regnum Dei intra vos*, non potest dici, quatenus illud subiectum singulas notat personas secundum statum naturalem consideratas; sed, quatenus totam nationem Judaicam respectu temporum Messiae significat, ita ut sensus sit: Vos, o Judæi, regnum Dei habetis jam tum in ipsa gente vestra, in medio vestrum, utpote jam inde a præconio Joannis vobis solennius oblatum. Quod si regnum Dei ponas subiecti loco, res eodem recidit: regnum Dei est in medio vestrum: in qua propositionis structura subiectum, *regnum Dei*, itidem non permittit, ut in prædicato pronomen *hūc* de singulis personis & de statu ipsarum naturali explicetur; sed requirit omnino, ut de universa gente pro conditione temporum Messiae intelligatur.

§. IV. Et hunc sensum confirmat illustratque non parum:

1. *Scopus Christi.* Quia enim Judæi regnum Messiae tanquam adhuc futurum & magno cum apparatu ventu-



venturum expectabant, Christus illos ab ista expectatione retractos ducit in rem presentem, docens, regnum istud ipsumque Messiam inter ipsos Judæos jam adesse.

2. *Proprietas pronominum ἡμῶν, οὐμῶν, de integra gente, ut in aliis linguis, sic etiam in Græca sacri codicis, v. g. Jo. I, 14. Verbum caro factum est, & habitavit, tabernaculum fixit antypicum, ἐν ἡμῶν, inter nos, in gente Judaica. v. 26. Christus medius inter vobis stetit, quem vos non nostis. Luc. VII, 16. Magnus propheta surrexit ἐν ἡμῶν, inter nos, unter uns & Deus populum suum visitavit. n. r. λ.*

3. *Locus parallelus de regni adventu, seu de eo per præconium pœnitentiæ & evangelii oblato Matth. III, 2. Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum Dei: nec non de eo rursus auferendo: c. XXI, 43. Tolleitur ἀπὸ ὑμῶν, a vobis, von euch / regnum Dei, & dabitur genti fructus ejus laturæ.*

4. *Sensus hujus nativa indoles, a coactione & obscuritate omni alienissima.*

§. V. Jo. I, 9. *Christus erat lux vera, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Quod si quæstio esset: anne Christus, quantum in ipso est, oblata gratia sua illuminaret omnem hominem? & si hæc quæstio negaretur, tunc negationi recte opponeretur hic locus. At eam thesin, quæ in quæstione est, affirmantibus is frustra opponitur, utpote qui affirmatione genuinum istius sensum exprimunt, Paulino isti Tit. II, n. parallelum: *Illuxit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, scilicet per præconium evangelii, de quo*

quo contextus agit. Quæ Joannei loci expositio, uti genuina est, sic in eodem nullum adest vestigium pro hypothese de principio gratiæ nobis jam innato. Et ista in eo multo minus locum habet, si participium ἐρχόμενον cum nonnullis de ipso Christo intelligas.

s. VI. Act. XVII, 27. *Deus non est procul ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Cujus loci genuinus sensus hic est: Deum a rebus creatis non abesse, quemadmodum architectus a structura sua abesse solet, sed iisdem sic adesse, ut ab ipso habeant suam vitam, suumque motum & ipsam existentiam. Particula vero ἐν pro ἀπὸ Paulus indicare voluit, Deum non solum esse causam creatam, sed etiam conservantem, nunquam non præsentissimam. Arati vero hemistichion subjunctum de divino genere Paulus eo adhibuit sensu, qui analogiæ veritatis est consentaneus, & ab errore participatæ ipsius divini essentia alienissimus.

### PROPOSITIO III.

Notitia Dei naturalis homini ad cultum Dei & ad salutem non est sufficiens.

#### *Demonstratio.*

I. *E defectu doctrinarum principalium, quo notitia illa laborat; uti sunt sequentes:*

I. *De immortalitate anime, nec non de resurrectione*

mor-

mortuorum, de iudicio extremo, & vita aeterna, eique opposito exitio aeterno. Quamvis enim de his omnibus etiam lumen naturæ aliquid per rationationes suas assequatur; subsistit tamen tantum intra meras conjecturas cum probabilitate aliqua, firmo fundamento destitutum, ideoque ad generandam aut concipiendam fidem, quæ in mediis etiam tentationum internarum & externarum procellis & angustiis immota persistet, haud est idoneum ac sufficiens.

2. De admirando illo gratiæ & iustitiæ temperamento, quod in satisfactione & redemptione Christi est, nucleum evangelii constituit, & per applicationem in justificationem forensam sese diffundit. Has doctrinas, quæ tamen divini cultus fundamentum constituunt præcipuum, natura plane ignorat; iis vero miseriæ suæ suæque culpæ nec non divinæ iustitiæ sensu interiori in angustias redacta quam maxime eget, utpote sine earum praxi cultu suo in cassum laborans.

3. De impotentia virium naturalium in spiritualibus, & de auxiliis gratiæ in ordine regenerationis ac renovationis admittendis, & ad cultum Deo verum præstandum necessariis. Quidquid enim de his natura assequitur, inane est nomen nudumque simulacrum.

II. Ex ipsius religionis naturalis, e notitia ista oritur defectu vario & principali, quo laborat circa salutis suppositum ac objectum, nec non circa divini cultus principium, modum, normam, ac finem. Qui religio-

ligionis naturalis defectus varius per se e modo dicto doctrinarum principalium defectu resultat. *Suppositum* vero religionis est animæ immortalitas. *Obiectum*, est Deus, ejusque essentia, voluntas ac opera. *Principium* religionis ac divini cultus est gratiæ divini influxus, Dei cultorem necessariis viribus instruens. *Modus* est colendi ratio in spiritu & veritate, evangelio secundum fiduciam, & legi secundum sinceritatem, seu fidelitatem, conformis. *Norma*, revelatio divini voluntatis; ac denique finis, *vita æterna*. Hæc omnia religioni naturali ita defunt, ut de iis partim plane nihil, partim nihil certi, & quod simul sufficiat, possit agnoscere. Etenim circa suppositum necessarium de immortalitate animæ ratio sibi relicta fluctuat, ideoque multo magis de resurrectione mortuorum, aliisque novissimis, & de ipsa vita æterna, immortalitatem animæ supponente, dubitat, immo resurrectionem mortuorum pro re absurdissima habet. Supposito autem isto principali sineque ultimo sic labefactatis reliqua omnia labefactantur & vitiantur, immo corruunt, inprimis genuinus modus divini cultus; utpote qui negatis, aut ignoratis, gratiæ propriæ sic dictæ auxiliis, vera indole caret, ac repudiata norma dirigente maxima ex parte in *ιδεοδημοσιαι* hæret, imaginationis idolo, aut effectis ratiocinationis ideis pro Deo cultis.

III. *Ex ipsa divini revelationis veritate & præstantia ac prerogativa*. Quod si religio naturalis homini ad æternam beatitatem esset sufficiens, Deus hominibus semet ipsum suamque voluntatem ac modum divini

divini cultus non fuisset revelaturus, nec per Scripturam sacram, nec per alios revelationis modos, in ea celebratos: nec in eadem religionis naturalis imperfectionem summam defectusque principales fuisset detecturus. Ut vero revelatæ religionis ipsiusque revelationis veritatem nunc adversus sic dictos Naturalistas probem, non est res instituti mei. Sufficit mihi hoc ipsum, tanquam datum, ab iis omnibus, quotquot in præsidiorum istorum, quibus religionis revelatæ veritas nititur, consideratione non ipsum etiam sanioris rationi usum quasi ejurarunt.

IV. *E præjudicio illo ingenti & manifestissimo, quo, quæ cultiores gentes, ac inter ipsos meliores philosophi de Deo ac rebus divinis habuerunt, aut adhuc habent, præclara, & quæ adhuc hodie iis, qui principis religionis patefactæ innutriti sunt, saltem, qui de ea multa perceperunt, in meditatione suggeruntur, merito naturali lumini solent adscribi. Quemadmodum enim talia olim ortum suum maxima ex parte habuerunt ex traditione & commercio cum gente Judaica; ita etiam deinceps per ipsum religionis revelatæ subsidium tacite fuerunt interpolata conservatæque & adaucta, immo etiam subinde repurgata, subsidio isto multiplici, etiam religionis naturalis cultoribus non animadvertentibus, officium suum faciente & rationi subserviente. Quod subsidium, si cum præidiis & effectibus suis demas a religione naturali, hanc in tanta deprehendes egestate ac imperfectione, ut ipsam pro sufficienti ad salutem æternam nequaquam sis habiturus. Hæc hætenus de doctrina evangelica in the-*

fi adstructa, & simul de antithesi Anti-Poiretiana, jam in antecessum & generatim destructa. Specialem ejus dialysin, locis ex auctoris Oeconomia productis instituendam, sequens exhibebit dissertatio.

**Axiomata,**  
quæ ex tribus Propositionibus hæctenus deductis, tanquam totidem conclusiones resultant.

1. Philosophus, qua talis, seu quatenus solius naturæ lumen & vires sequitur, nihil omnino valet in mere spiritualibus. Quia vero religio christiana veritatem suam admirandis characteribus facit conspicuam & commendabilem, id philosophus ex attenta eorum ac ipsius revelatæ veritatis consideratione cognoscere potest, quod hæc sanæ rationi nequaquam sit contraria, sed eidem potius admiranda.

2. Ipsi

2. Ipsi etiam philosophi, qui rationem habent maxime excultam, pro labe sua naturali, per solam philosophiam inexpugnabili, a via ad salutem æternam non minus aberrant, quam isti, qui brutum sensuum suorum ductum sequuntur, ideoque Christi & ejus gratia æque egent, quam reliqui mortales.

3. Quinimmo philosophi, seu omnes illi, in quibus usus rationis partim per sagacioris naturæ dotes, partim per multam culturam & exercitationem, præjudiciis vulgi, docti indoctique, exutis, & veritatibus detectis ac inventis, est excellentissimus, quando in ordine, non externæ confessionis, sed internæ regenerationis & veræ animi *μεταμορφώσεως*, ad

Christum convertendi sunt, castigantis ac erudientis, seu docentis ac illuminantis gratiæ disciplinæ morosius ac diutius solent repugnare, quam homines hebetiores & *aristot.* atque ita, respectu hoc ad regnum Dei habito, multo majorem in se corruptionem intellectus & voluntatis produnt, quam isti, & his ab eo longe sunt remotiores. Id quod constat cum e re ipsa, fortasse aliquando peculiari Dissertatione demonstranda, tum e philosophorum, prioribus N. T. seculis ad Christum conversorum, exemplis & confessione. Ut taceam exempla philosophantium, & a regno Dei alienorum, in gente Judaica, h. e. Pharisæorum.

4. Quemadmodum in theologiacis




cis ita sentiendum ac loquendum est de necessitate gratiæ, ne naturæ vires in rebus rationi quocunque modo subjectis negentur: ita in philosophicis naturæ vires non adeo evehendæ sunt, ut inde aliquid detrimenti capiat religio christiana in urgenda gratiæ necessitate.

5. Natura est quidem gratiæ formula, sed per labem originariam in mere spiritualibus ignava, morosa, contumax, aut inepte sedula, ideoque e gratiæ principio ita emendanda, in officio continenda dirigendaque, ne pro ministerio suo, subjugata quasi hera sua, magisterium occupet & exerceat, turbetque omnia, sed magistræ suæ, gratiæ, ejus regimine non parum nobilitata, promte, fideliter ac sine errore subleruiat.

## PRÆSES RESPONDENTI

S. D. P.

**D**E natura & gratia publica mecum disputaturus, meminervis, Vir Juvenis ornatissime, quid de hoc ipso argumento per integrum, quem hic studiorum causa transegisti, temporis tractum in lectionibus publicis & privatis identidem audivisti. Quibus quo diligentius interfuisti, eo Te melius in actu disquisitionis publico staturum esse confido. Cum vero, quanti sint nature defectus, & quanta gratie prerogativa ac necessitas, probe jam perceperis, facile, me etiam non monente, intelligis, quid Tui nunc sit officii: scilicet, ut, quam firmo tenes assensu, quamque defensione publica tueris, veritatem, ipsa etiam praxi per vitam omnem exornes. Quod, quo presteris fidelius ac constantius, eo plus mereberis de Te ipso, seu de natura Tua per gratiam magis magisque sananda ac nobilitanda, organum Dei utilissimum, quod ex animo precor ac confido, in ipsius ecclesia futurus. Vale in Domine, qui hinc discessuro esto comes & ductor!



JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757





st

Ms 18

Mt:







DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
SECUNDA,

DE

ILLO CLARISS. POIRETI ERRORE, QVO,

QVAE NATV-  
RAE SVNT, PRO  
GRATIA ET GRATIAE  
EFFECTIBVS HABET:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die Decembris hujus MDCCXX. anni

SVB MODERAMINE

D. JOACHIMI LANGII,  
S. THEOL. PROF. ORDIN.

PVBlicae ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

THEOPHIL. HENRICVS *Schaufkirch*  
STETINENSIS POMERANVS, S.S. THEOL. CVLTOR.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFH, Acad. Typ.

